hujus difficultatis; licet enim de præſenti demandetur Epiſcopo correctio in clericos ſuæ diœceſis, quæ jure communi illi competebat; non tamen ideo ſuperflua eſt, aut inutilis hæc delegatio: prodeſt enim ad excitandam juriſdictionem, & ut diligentius correctionis officium adimpleat ipſe Ordinarius, ut plerumque in jure contingit *in c. licet, hoc tit.* & aliis ibi adductis. Unde cum excitetur juriſdictio, non autem mutetur, ſeu alteretur; ideo manet tantum ordinarius, non vero delegatus. Difficilius eſt ſecundum difficultatis argumentum, cui ut ſatisfaciat Gloſſa *verbo Relaxes*, aſſerit in hoc textu clericos inſervientes Eccleſiis de Orbitello, non fuiſſe exemptos a juriſdictione Epiſcopali, imo potius Epiſcopo paruiſſe, & ideo ſententias in eos prolatas vires habuiſſe. Sed hæc ſolutio repugnat verbis ipſius deciſionis, ibi: *Nullam juriſdictionem habeat ordinariam, aut delegatam*. Repugnatque textus hiſtoriæ ſupra relatæ. Quare hac ſolutione omiſſa, placet alia ſolutio ipſius Gloſſæ, dum aſſerit, verbum illud *relaxes*, in hoc textu non ſtricte, & proprie accipiendum eſſe; ſed late, quaſi jubeat Pontifex, ſententiam interdicti, & excommunicationis nullam declarari: quomodo etiam hoc verbum *relaxare*, pro nullum declarare, & de facto abſolvere, accipitur *in c. dilecti* 40. ubi notavit Gloſſa ultima *de teſtamentis, cap. Odoardus, de ſolutionibus, c. audivimus* 24. *q.* 1. nec inſolens eſt in jure, ut verba *reſcindere, relaxare, & irritare*, accipiantur pro nullum declarare, ut *in c. cum quidam* 12. *de jurejur. c. non ſolum, de appell. in* 6. *c. ſi quæ de rebus*, 12. *q.* 2. *l. in fraudem, §. a debitore, ff. quæ in fraudem creditor. l. is qui* 15. *l. ſi duo* 16. *de legatis præſtandis, l. maximum, C. de liberis præteritis, l. ut liberis* 17. *C. de collat.* notarunt communiter Primarii *In l. inter cætera, ff. de liberis, & poſth.* Bajo-Arroyo *in c. Quintavallis, n.* 74. *de jurejur.* Unde licet ſententia in hoc textu data nulla eſſet, ut probat Cochier. *ubi ſupr., p.* 2. *q.* 40. tamen nulla declarari debet ab ipſo Epiſcopo, ut in præſenti jubet Gregorius.

10 Exponitur c. 2. de ſent. exc. Adhuc ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *c. monachi* 2. *de ſentent. excommun.* in illis verbis, *providentia diœceſani Epiſcopi eſt adhibenda*; quæ etiam reperiuntur *in c. cum illorum, c. canonica, eodem titulo*. Ex quibus deducitur, monachorum etiam exemptorum correctionem Epiſcopo competere. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, textum illum procedere data ignorantia ex parte proprii Prælati, tunc enim ejus negligentiam ſupplebat Ordinarius, antequam tam ampla privilegia exemptionis Regularibus concederentur. Concilium Altiſſiodorenſe *can.* 23. „Si monachus monaſterio adulterium commiſerit, aut peculiare, ſeu proprium habere præſumpſerit, „aut furtum fecerit, & hoc Abbas per ſe non emendaverit, „aut Epiſcopo, aut Archidiacono non intimaverit, ad pœ„nitentiam peragendam in alio monaſterio detrudatur." Late probavi *in c. quanto* 7. *hoc tit.* Cum ergo *in dict. c. monachi*, Abbas negligens eſſet, ideo Epiſcopi providentia deſideratur, ut docet Germonius *l.* 3. *de ſacrorum immunit. c.* 4. *n.* 27.

Secundo etiam opponitur textus *in c.* 1. *de V. S. l.* 6. ubi 11 Intelligitur c. 1. de V. S. in 6.
Legatus, qui eſt judex ordinarius, & ordinariam obtinet juriſdictionem, cognoſcit de cauſis exemptorum: igitur quilibet Ordinarius, quoad correctionem habet juriſdictionem in exemptos. Pro cujus textus interpretatione dicendum eſt, in ejus ſpecie Legatum cognoſcere de cauſis exemptorum, non ut ordinarium, ſed ut Legatum, qui ſummum Pontificem repræſentat. Unde ſicut ſummus Pontifex, qui eſt ſuperior exemptorum, *cap. cum tempore* 5. *de arbitris*, cognoſcere poteſt de eorum cauſis; ita & ejus Legatus, qui ipſum repræſentat. Ad hanc etiam partem, exemptionem videlicet Regularium a juriſdictione ordinaria, ſpectant, & expendi poſſunt textus *in cap. fin. de ſtatu monach. cap. de regul. cap. fin. de ſimonia, c. inter monaſterium, c. ſuborta, de re judic. cap. fin. de ſucceſſoribus ab inteſtato, cap.* 2. *de capellis monach. c. cum olim, de præſcript. cap.* 6. *&* 7. *de exceptionibus, cap. ad hæc, c. cum ex injuncto, de privilegiis, cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *Clem.* 2. *eod. tit. Clement.* 1. *de ſent. excomm.*

CAPUT FINALE.

a Idem.

HIs, quibus ex officio in certis caſibus competit illos abſolvere, qui pro *b* violenta manuum injectione incidunt in canonem ſententiæ promulgatæ, licet aliis hujuſmodi abſolutionem committere, cum viderint expedire.

NOTÆ.

a IDem.) Gregorius videlicet, qui motu proprio a nemine
1 conſultus, præſentem edidit conſtitutionem, quod in ipſo jam notavi *in c. fin. de conſtit.*

b *Pro violentia.*) De hac cenſura pro violenta manuum injectione incurſa, late egi *in c. excommunicatis, cap. nemini, de offic. Legati.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur, *Judicem ordinarium, cui ex officio competit facultas abſolvendi, abſolutionem aliis*
2 Concluſio illuſtratur. *delegare poſſe*. Quam concluſionem firmant textus *in c. cum Epiſcopus, hoc tit. l.* 6. *c. inter cætera, hoc tit.* & alii congeſti *in c.* 3. *de officio delegati*, quibus probatur, judicem ordinarium poſſe juriſdictionem propriam aliis committere. Illuſtrant ultra communiter repetentes in præſenti, Sylveſter *in ſumma, verbo Delegatus* 1. *q.* 8. Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 6. Henriquez *l.* 13. *de excommun. c.* 24. *n.* 2. Angelus *verbo Excommunicatus* 5. Sanchez *de matrim. l.* 2. *diſp.* 40. *n.* 14. & *in præcepta Decalogi, l.* 2. *c.* 10. *num.* 23. Azor. *l.* 1. *inſtit. tit.* 8. *c* 10. *q.* 11. Barb. 1. *par. de poteſt. Epiſcop. alleg.* 35. *n.* 14. & 3. *part. alleg.* 92. *n.* 18. Baſilius *de matr. l.* 5. *c.* 31. *n.* 8. Morla *in emporio, tit.* 2. *n.* 88. Fachineus *l.* 12. *controv. c.* 95. Quintanadvennas *de juriſdict.* Moneta *de commut. ult. volunt. c.* 5 *n* 557.

Sed hæc aſſertio ita communiter deducta difficilis redditur
3 Impugnatur hæc aſſertio. ſequentibus juris principiis. Primum notiſſimum eſt, videlicet ea, quæ competunt jure ſpeciali, aliis delegari non poſſe, ut late probavi *in c.* 3. *de officio deleg.* & in præſenti ſpecie probat ipſe Greg. IX. *in c. fin. §. fin. de officio deleg.* Sed abſolutio ab excommunicatione ob violentam manuum injectionem in clericos, Ordinariis jure ſpeciali competit; ſiquidem in ipſo canone *ſi quis ſuadente*; tantum R. P. reſervatur; igitur hæc facultas abſolvendi ab Ordinariis delegari non poteſt. Secundum juris principium non minus notum eſt, delegari non poſſe ſimplex miniſterium alicui commiſſum, cum ejus perſonæ induſtria electa eſt, *d. c. ultim. de off. delegat.* nec etiam delegatum Pontificis illud poſſe ſubdelegare, ut probavi *in dict.* 3. *de off. delegat.* ſed cum abſolutio ab excommunicatione alicui competit, non juriſdictionem, ſed certum miniſterium obtinet, *cap. ſi is cui, de off. deleg. libr.* 6. igitur non poteſt delegari ſimilis abſolutio. Augetur hæc difficultas ex eo, quia ſi Epiſcopus poſſet abſolutionem, ſeu diſpenſationem in delictis, ſeu a cenſuris aliis delegare, fruſtra adjiceretur, cum Epiſcopo conceditur hæc diſpenſatio, ut per ſe, vel per vicarium ſuum abſolvere, vel diſpenſare poſſit, ut ſignanter adjicitur in Conc. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reformat. c.* 6. ubi conceditur Epiſcopo, ut per ſe, vel per vicarium poſſit in omnibus irregularitatibus occultis, excepta proveniente ex homicidio, diſpenſare: igitur quia Epiſcopus jure ordinario non poteſt committere abſolutionem excommunicationis ſibi competentem.

His difficultatibus minime obſtantibus, vera eſt præſens
Gregorii conſtitutio, cujus ratio provenit ex eo, nam juriſ- 4 Traditur ratio decidendi.
dictio, quæ non perſonæ, ſed dignitati competit, ordinaria, non vero delegata eſt, ut probant in præſenti Baldus *n. unico*, Immola *in fine*, Bovar. *l.* 3. *variar. c.* 20. *num.* 6. Barb. *part.* 2. *poteſt. Epiſcop. alleg.* 35. *nu.* 15. tunc enim juriſdictio dignitati potius quam perſonæ cohæret; & cum in futurum Prælatum ſimul cum dignitate tranſeat, non poteſt dici electam fuiſſe perſonæ induſtriam, ut notarunt Menochius *l.* 1. *de arbitr. q.* 64. *n.* 17. Sanchez *l.* 2. *de matrim. diſp.* 40. *num.* 17. Baſilius Legion. *eod. tractatu, l.* 5. *c.* 31. *n.* 8. quare cum facultas abſolvendi a cenſuris conceſſa officio, ſeu dignitati in perpetuum ordinaria ſit, alteri demandari valet more cujuſlibet ordinariæ juriſdictionis, *libr. more, ff. de juriſdict. libro cognitio, §. cum propriam, ff. de offic. ejus, c. cum Epiſcopus, hoc titul. in* 6. Unde cum poteſtas abſolvendi ab excommunicatione ob violentam manuum injectionem in clericum, a Sede Apoſtolica Epiſcopis perpetuo certis in caſibus conceſſa ſit, ut probavi *in d. c. excommunicatis, de officio Legati*, recte Gregorius in præſenti affirmat, licere eis hanc poteſtatem alteri demandare, quia non perſonis, ſed dignitati Epiſcopalitatis facultas conceſſa fuit. Latius proſequuntur Barb. *ubi ſupra, n.* 17. Sanch. *d. diſp.* 40.

Ex qua vera ratione hujus conſtitutionis infertur primo, 5 Variæ illationes.
Abbates, & alios Regularium Prælatos, quibus ratione dignitatis, ſeu officii competit facultas abſolvendi monachos ſe invicem leviter percutientes, *ex c. cum illorum* 21. *de ſententia excommunic.* poſſe alteri hujuſmodi poteſtatem committere, ut docet Bonacina 1. *t. diſp.* 2. *de excomm. q.* 4. *puncto* 5. *n.* 11. Etiam infertur, Epiſcopum poſſe in caſibus, in quibus illi permittitur diſpenſare in irregularitate, juxta Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 6. eamdem facultatem aliis committere, cum hæc poteſtas Epiſcopali dignitati, non vero perſonæ commiſſa ſit. Sanchez *ubi ſupra*, Bonacina *ubi proxime, n.* 10. Deinceps colligitur, poſſe Epiſcopum poteſtatem quam habet diſpenſandi in impedimentis dirimentibus matrimonium, cum facilis aditus non eſt ad R. Pontificem, aliis committere ex eadem ratione, & etiam poteſtatem delegare diſpenſandi in feſtivitatibus & jejuniis, cum Epiſcopus in eis diſpenſare valet, ut reſolvunt Covar. *l.* 3. *variar. c.* 20. *n.* 6. Sanchez *l.* 2. *de matrim. diſp.* 40. *n.* 14. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 35. *n.* 5. Etiam ex eadem ratione deducitur, poteſtatem quam habet Epiſcopus, diſpenſandi in omnibus impedimentis non dirimentibus matrimonium, excepto caſtitatis voto, poſſe eam aliis committere. Barboſa *ubi ſupra, n.* 2. Hugolinus *de poteſt. Epiſcop. c.* 60. *§.* 3. Sanchez *l.* 7. *de matrim. diſp.* 17. *n.* 15. Bonacina *de impediment. matrim. punct.* 25. *n.* 3. Ex eadem etiam ratione poterit committere, & aliis delegare facultatem diſpenſandi in impedimento affinitatis ſuperveniente inter conjuges ex copula habita cum conſanguineo alterius conjugis, in quo diſpenſare poteſt Epiſcopus, *cap.* 1. *de eo qui cognovit conſang.* reſolvunt Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 12. *n.* 16. Barboſa *ſupra, n.* 8. Bonac. *n.* 5.

6 Reſpond. difficult. Nec obſtat prima difficultas ſupra adducta, in qua expendebamus, ea quæ competunt jure ſpeciali, delegari, non poſſe, & per conſequens nec facultatem abſolvendi a cenſuris, de quibus in hoc textu. Nam principium illud procedit in his, quæ ſpecialiter competunt ratione perſonæ, & propriæ induſtriæ, ut probavi *in c.* 3. *de off. delegati*: at vero facultas abſolvendi a cenſuris, de quibus in præſenti, jure ordinario Epiſcopis ratione Epiſcopalis dignitatis competit. Unde ſicut alia, quæ ſupra enumeravi, Epiſcopus committere valet, ita & hanc abſolutionem. Nec etiam ſecunda difficultas adverſatur, deducta *ex c. fin. §. fin. de off. deleg.* nam textus ille procedit in judice delegato, cui prædicare crucem, abſolvere, vel excommunicare committitur; ille enim hæc miniſteria aliis ſubdelegare non poteſt, quia ejus perſonæ induſtria electa eſt. At Gregorius in præſenti loquitur de judice ordinario, cui ratione dignitatis competit abſolutio a cenſuris, in quo electa non eſt induſtria perſonæ, unde aliis prædictam abſolutionem committere poteſt. Nec tandem refragatur Conc. Trid. *in d. ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 6. quia licet in eo ſpecialiter caveatur, Epiſcopum per ſe, vel per Vicarium poſſe diſpenſare in irregularitate certis in caſibus; non tamen negant Patres aliis eamdem facultatem committere poſſe: nec ex eo decreto evincitur, etiam non adjecta ea clauſula, *per ſe, vel per vicarium*, Epiſcopum non poſſe prædictam diſpenſandi facultatem Vicario delegare, ut docet Sanch. *d. diſp.* 40. *n.* 17.

TITULUS XXXII.

De officio Judicis.

CAPUT PRIMUM.

a Honorius III. *b* *Archiepiſcopo Sancti c Leonardi, & Sancti Benedicti Abbatis Salernitani.*

EX litteris veſtris *d* accepimus, quod cum cauſam, quæ inter dilectos filios Abbatem, & conventum Foſſæ *e* Novæ ex *f* parte una; & Abbatem, & Conventum Monaſterii *g* Caven. Salernit. Diœceſis ex altera, ſuper quibuſdam poſſeſſionibus Monaſterii S. Petri de *h* Amalphia, quas bonæ memoriæ frater Silveſter Monachus Foſſæ Novæ, cum idem Monaſterium S. Petri viſitaſſet, eiſdem Abbati, & Conventui Caven. vendidit, in ejuſdem Monaſterii Sancti Petri præjudicium, & gravamen, vobis duximus committendam: quia partibus in veſtra præſentia conſtitutis pars dicti Monaſterii S. Petri propoſuit, quod aliquem de civitate Salernit. habere non poterat *i* advocatum, veſtrum ſuper hoc *k* officium implorando, tu frater Archiepiſcope, eidem de Magiſtro R. Capuda, *l* Aquenſi Theſaurario, *m* Clerico tuo, ad exhibendum in cauſa ipſa patrocinium *n* providiſti: verum frater S. Prior Sanctæ Mariæ de Domino, Caven. Monachus *o* pro Monaſterio ſuo propoſuit, quod id in præjudicium ejuſdem monaſterii factum fuerat, eo quod dictus R. clericus, & domeſticus tuus erat. Nos igitur deciſionem negotii nolentes frivolis exceptionibus impediri, cauſam ipſam ad vos duximus remittendam per Apoſt. v. ſ. mandantes, quatenus exceptione hujuſmodi non obſtante, in negotio ipſo ſub. app. obſt. ſine moræ diſpendio, ratione prævia procedatis juxta priorum continentiam litterarum. Et quia inſtrumenta monaſterii S. Petri, quæ ipſis dictus S. ejuſdem venditionis tempore tradidit, Abbas & conventus Caven. malitioſe occultare dicuntur, ipſos, ut ea vobis *p* exhibeant, monitione præmiſſa, per cenſuras eccleſiaſticas, ſicut juſtum fuerit, app. poſtpoſita compellatis.

NOTÆ.

1 a HOnorius.) De quo egi *in c. pen. de conſtitutionibus*. Præſens deciſio reperitur *in capit. un. de poſtuland. in* 5. *collect.* ſed rectius compilatur ſub titulo noſtro de officio judicis, nam in eo agitur de officio judicis, quod exercetur in aſſignatione advocati.

2 b *Archiepiſcopo.*) Ita legitur in hac ſexta collectione, ſed non recte; legendum enim eſt. *Archiepiſcopo Salernitano, & Abbati S. Leonardi*, ut ex vetuſtiſſimis codicibus emendavit Cironius in præſenti: Archiepiſcopatus Salernitanus eſt in Regno Neapolis, in Salerno, a Lotario I. creatus anno 851. ut retuli *in c.* 1. *de corpore vitiatis.*

3 c *S. Leonardi.*) Monaſterium hoc percelebre eſt in Apulia, Ordinis D. Benedicti, ut refert Tamburinus *in ſerie Abbatum v. Salernum.*

4 d *Accepimus.*) Honorius III. conſultus fuit a judicibus delegatis circa exceptionem oppoſitam. Plerumque enim tam judices ordinarii, quam delegati ſuper articulis contingentibus conſulunt Romanum Pontificem, ut probatur *ex c. in litteris, c. conſultationib. c. ex litter. de offic. deleg.* & quoties de jure nimium hæſitatur, Princeps conſulendus eſt, *c. intimaſti*, 68. *de appell.* Evariſtus Papa *ep.* 1. *l. Divus* 14. *ff. de off. Proconſ. l. ult. ff. quando appellandum, l.* 1. *&* 5. *C. de relationib.*

5 e *Foſſæ novæ.*) Monaſterium nobiliſſimum Foſſæ Novæ Ordinis Ciſtercienſis, eſt in diœceſi Terracinenſi, conſtructum a Comitibus Aquitanicis de quo Claudius Robert *in catal. Abbat. Clar.* ibi: *Eſt autem Foſſa Nova monaſterium diœceſis Terracinenſis in Italia, fundatum anno MCXXXV. ubi nonnulli volunt fuiſſe forum Apii, de quo in actib. Apoſtol.* De eo plura tradit Illuſtr. Manriq. *t.* 1. *annal. Ciſter. anno* 1135. *c.* 9. *n.* 7.

6 f *Ex parte una.* Abbates litigabant ſine mandato monachorum; nam illi recte in judicio adeſſe poſſunt per ſe abſque ullo mandato monaſterii, *c. cauſam*, 9. *de judiciis, c. auditis*, 15. *de præſcription. c.* 2. *de ordin. cognit. c. olim*, 17. *de reſtit. ſpoliator. c. dilectus* 18. *de officio Ordinarii, c. auditis, de in integr. reſtitut. c. accepimus, de fide inſtr. c. cum veniſſet* 3. *de eo, qui mittit.* ex ratione adducta *in cap. edoceri, de reſcript.* quia videlicet Abbates ex officio tenentur negotia monaſterii procurare, licet alios actus abſque licentia monaſterii exercere non valeant, *c. contingit* 3. *de tranſact. c. ex noſcitur, de his quæ fiunt a Prælatis*, Barboſa *in dict. c. edoceri*. Supponendum etiam eſt in noſtro textu Abbates non per ſe, ſed per ſyndicum in judicium comparuiſſe; quia monachi a ſtrepitu judiciali debent ſemoveri, *c. unico, de ſyndico*, nec contrarium probat noſter Honorius, dum affirmat, inter Abbates cauſam agitari; intelligendus enim eſt media ſyndici perſona, quo modo etiam intelliguntur textus *in c.* 2. *c. ſuſcitata, de integr. reſtitut. c. inſuper* 6. *de teſtibus, c. dilectus* 2. *de capell. monachor. c. cum olim, de privileg.* junctis traditis a Barboſa *l.* 1. *juris Eccleſiaſt. c.* 36. *n. fin.* Oſuald. *ad Donell. l.* 18. *comment. c.* 12. *litt. X.* Boſqueto *ad Innocentium III. l.* 2. *ep.* 105. *&* 122.

g *Cavenſis.*) Monaſterium Cavenſe eſt in Civitate Cavenſi 7
Campaniæ, Ordinis D. Benedicti, conſtructum anno ML. ut refert Yepes *t.* 3. *chron. D. Benedicti, in d. anno ML.*

h *Amalphia.*) Monaſterium S. Petri de Amalphia, Ordi- 8
nis Ciſtercienſis, parebat quoad ſpiritualia, & temporalia monaſterio Foſſæ Novæ: unde Abbas Foſſæ Novæ potuit illud viſitare, negotiaque ejus procurare, tam in judicio, quam extra, *c. ex tranſmiſſa, de præſcriptionibus, c. præterea* 10. *de tranſactionibus, c. inter dilectos, donat.* & res unius monaſterii in aliud transferre, *c.* 1. *de rebus Eccleſiæ*, ſicut Epiſcopus poteſt procurare quaslibet res Eccleſiæ ſuæ diœceſis, *c. neganda* 10. *qu.* 1. *c. inter* 16. *qu.* 3. *c. fin. de ſucceſſ. ab inteſtat.*

i *Advocatum.*) Ideſt patronum, ſeu defenſorem, quem nos 9
vulgo dicimus *Letrado*; non enim advocatus accipitur in præſenti pro eo, qui judicis officio fungebatur primis Eccleſiæ ſæculis, de quo Balſamon *in can.* 78. *Chalcedonenſ. Concil.* Cujacius *in conſtitut.* 2. *Federici, lib.* 5. *feudorum*, nec pro advocato Eccleſiæ patrono, de quo *in cap. præterea, capit. cum autem, cap. quia, de jurepatronat.* ubi Cironius, & nos plura dabimus.

k *Officium implorando.*) Hæc clauſula vulgo, & utiliter li- 10
bellis adjicitur, apud nos ita concipitur: *Y el officio de v. m. imploro*; cujus virtute licet alias judex nec teneatur, nec poſſit impartiri officium ſuum ad utilitatem privatam, *c.* 1. *ut lite non conteſtat. cap. bona* 2. *de poſtulat. Prælat. lib.* 4. *§. hoc autem, ff. de damno infect.* docet late Caſtillo *de alim. c.* 21. poteſt tamen officium ſuum in utilitatem privatam impartire, ut in hac ſpecie, quia tunc tale officium ſuccedit loco actionis. Azeved. & alii apud Gundiſalvum de Paz *in praxi, tom.* 1. *tempor.* 4. *num.* 56. Hevia *in Curia Philipp. §. libello* 11. *num.* 14.

l *Aquenſis.*) Aquenſis eſt civitas apud Gallos dicta Aix, 11
cujus meminerunt Antonius *in itiner*. Scaliger. *libr.* 1. *lectionum Auſon. capit.* 6. quam hoc ſane nomine Aquas appellari memorant, ab aquis calidis, quæ eo loci ſcaturiebant: habet Eccleſiam Cathedralem Deiparæ Virgini dicatam, cujus originem, & amplitudinem, ac Præſulum referunt fratres Sarmatani *tomo* 2. *Gall. Chriſt. fol.* 187. Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ.*

m *Clerico.*) Licet prohibitum ſit clericis Advocatorum of- 12
ficio

ficio fungi, *c. 1. & 2. de poſtulando*; tamen illud procedit in judicio ſæculari: at vero in eccleſiaſtico, & pro miſerabilibus perſonis, in judicio patrocinium præſtare valet, *can. 28. Synodi Charthag. c. 1. de vita, & honeſtate, in 5. compil. c. veniens 38. de teſtib. c. ex tenore, de foro compet.* Concil. Emeritan. *can. 11.* late dicemus *in d. c. 1. de poſtul.*

13 n *Providiſti.*) Sed ſtatim agnoſcitur ea difficultas, nam ut ex epigraphe notavimus, duo fuerunt judices delegati a Pontifice deſigati in præſenti: ſed quoties ſunt duo judices dati, unus ſine alio in cauſa procedere non poteſt, *c. cauſam, de officio delegat. c. veniens, de renuntiat.* Angujan. *de legib. lib. 2. c. 25.* Moneta *de commutat. c. 8. n. 13.* igitur Archiepiſcopus ſolus non poterat advocatum aſſignare, nec in cauſa procedere. Huic difficultati ut ſatisfaciat Cardinalis in præſenti caſu affirmat, judices delegatos in præſenti datos fuiſſe cum clauſula, *quod ſi omnes*; unde virtute hujus clauſulæ unus ſine alio in cauſa procedere poterat, juxta tradita a nobis *in cap. ſciſcitatus, de reſcriptis.* Sed hæc interpretatio divinationis vitio laborat, ſiquidem ex textu non conſtat, prædictam clauſulam in reſcripto adjectam fuiſſe: quare hac ſolutione omiſſa, verius dicendum eſt, ideo Archiepiſcopum in præſenti tantum deſignaſſe advocatum, quia ipſe tantum judex, & ſuperior erat ipſius Roderici, qui tantum compellere poterat ipſum, ut ſuſciperet advocati munus: Abbas vero ſancti Leonardi ejus ſuperior non erat, unde illum advocatum deſignare non valebat.

14 o *Pro monaſterio.*) Monachus enim cum mandato ſuperioris poteſt negotia monaſterii in judicio per ſe, aut per procuratorem tractare, ut dicemus *in c. unic. de ſyndic.*

15 p *Exhibeant.*) Hæc deciſionis pars difficilis videtur ex eo; nam reus nullo jure tenetur edere inſtrumenta actori ad fundandam, & probandam ſuam intentionem, *c. 1. de probat. l. qui accuſare, Cod. de edendo, l. nimis, C. de teſtibus l. cogi, ff. de petit. hereditat.* plura Barboſa *in d. c. 1. num. 6.* Parexa *de inſtrum. edit. tit. 5. reſol. 3.* Ergo monaſterium Cavenſe in hac ſpecie non tenebatur edere inſtrumenta monachis S. Petri. Huic difficultati reſpondendum eſt, prædictam regulam, & utriuſque juris principium limitari, cum inſtrumenta non ſunt rei, ſed actoris, vel amborum, quoad proprietatem communia: tunc enim reus cogitur edere inſtrumenta actori, *c. G. Perpetuus, c. contingit, de fide inſtrument. l. non eſt novum, cum ſeq. ff. de edendo, l. ſi, ff. quæ, familiæ erciſcund.* Barboſ. *d. c. 6. in d. c. 1.* Unde cum in hac ſpecie inſtrumenta eſſent monaſterii S. Petri, juſte monachi Cavenſes compelluntur illa exhibere.

COMMENTARIUM.

16 Concluſio traditur, & probatur. EX hoc textu ſequens deducitur communiter diſputanda aſſertio: *Ad officium judicis pertinet advocatum parti aſſignare, & poteſt nominare domeſticum.* Eam probant text. *in c. infames, verſ. ſi vero, 3. q. 7. c. 1. ut lite non conteſt. c. ſi annum 3. de judic. in 6. l. 1. §. ait Prætor, ff. de poſtuland. l. providendum, Cod. eod. tit. l. illicitas, §. ne potentiores, ff. de offic. Præſid. lib. nec quidquam, §. fin. ff. de off. Proconſ. lib. 6. titul. 6. part. 3.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Petr. Greg. *lib. 5. part. tit. 7. c. 2.* Cironius *in præſenti*, Janus Langlerus *lib. 1. ſemeſtr. c. 1.* Mancius *de advocat. nu. 2.* Paz *in lege 19. ſtyli*, docte Guibertus Conſtanus *q. c. 10.* Carraſco *ad leges recopil. n. 33.*

17 Impugnatur hæc aſſertio. Hæc aſſertio, quæ duplicem continet partem, duplicem etiam patitur dubitandi rationem. Et primo adverſus eam partem, ubi aſſeritur judicem ex officio debere advocatum parti aſſignare, ea inſurgit ratio: nam poteſt litigator, imo tenetur per ſeipſum, non per advocatum cauſam in judicio proponere, & tractare; *c. paſtoralis, de judiciis, c. 1. eod. tit. in 6. l. 23. tit. 1. par. 3.* Didacus Perez *in l. 8. gloſſa 1. tit. 3. l. 2. ordin.* igitur non tenetur judex ex officio parti advocatum aſſignare. Accedit, nam ſi advocatus a judice aſſignaretur, poſſet compelli ab eo patrocinium præſtare: ſed compelli nequit, ut docet Corraſ. *ubi ſupra*, & probatur exemplo procuratoris, qui compelli non poteſt aliquem defendere, *l. filius, §. invitus, ff. de procurator. l. invitus, C. eod. tit. l. 2. §. ſi plures, ff. de curator. bonis dand.* Donel. *l. 18. comment. c. 13. & 16.* igitur in hac parte nullum eſt judicis officium. Secunda in ſecundam partem, ubi aſſeritur advocatum domeſticum prætextu familiaritatis recuſari non poſſe, ex eo provenit, nam creditur facile judicem illius in partem proniorem eſſe futurum, cum quo uſus, & commenſalitas interceſſerit; cum inde magnum amicitiæ vinculum oriri nemini dubium ſit. Eſt enim, inquit Cicero *in Lælio*, non mediocre amicitiæ condimentum ſermonum, vitæque communio: & quotidiana conſuetudine familiaritatem ſic augeri, ut ea nihil eſſe poſſit conjunctius, ipſe prodit *l. 18. epiſt.* Unde temporibus Auguſti judicibus, qui quotannis eligebantur, prohibitum fuit, ne eo anno in domum alicujus, qui cauſam in judicio haberet, ingrederentur, referente Dione Caſſio *l. 54. in Auguſt.* ergo advocatus domeſticus judicis, ut ſuſpectus recuſari valet. Accedit, nam ex quibus cauſis judex recuſari valet, ex eiſdem procurator removeri, poteſt, *l. ante litem, cum duabus ſequent. ff. de procurat.* Valtejus *de judiciis, l. 2. c. 2. n. 114.* Sed cum judex familiaris eſt unius ex partibus, recuſari poteſt, *c. accuſatores 3. q. 5. c. inſinuante, c. cum R. de offic. deleg.* igitur & advocatus. Tandem nam teſtis domeſticus, ut ſuſpectus rejici poteſt, *c. fin. q. 4.* ſed advocatus teſtis eſt facti, & juris, *c. paſtoralis, de judiciis, l. quiſquis C. de poſtuland.* igitur Rodericus ut domeſticus judicis recuſari poterat.

18 Traditur ratio decidendi. His rationibus minime obſtantibus defenſanda eſt ſupra tradita aſſertio; quæ jam auctoritatibus vallata, etiam rationibus fulcitur. Primæ enim partis ratio ex eo provenit, nam frequenter evenit ob potentiam adverſarii alteram partem patrocinio advocati carere, & tunc æquiſſimum eſt, ut advocatus a judice parti aſſignetur, ne judex patiatur inferiorem a potentiori injuria affici, *l. illicitas, §. ne potent. ff. de off. Preſ.* ſi enim a judice non aſſignaretur advocatus parti, ipſa indefenſa a potentiori adverſario opprimeretur, *l. nec quidquam, §. obſervare, ff. de off. Proconſ.* Unde apud Romanos magna cura erat, ut nemini advocatus defuiſſet: quam ob rem cum Cicero cauſam Murenæ adverſus Sulpitium familiarem ſuum peroraſſet, ab ipſa conqueſtus, ita reſpondit: „ Etenim ſi me tua familiaritas ab hac cauſa removiſſet, & ſi hoc quidem Quinto „ Hortenſio, & M. Craſſo clariſſimis viris, ſi item ceteris, „ a quibus intelligo tuam gratiam magni æſtimari, accidiſſet, „ in ea civitate Conſul deſignatus non haberet, in qua nemini „ unquam infirmo majores noſtri patronum deeſſe voluerunt. “ Eo etiam pertinent plures caſus, in quibus advocati a judicibus deſignati fuerunt. Plinius enim junior a Senatu ſeipſum advocatum datum fuiſſe Provincialibus Afris adverſus Priſcum teſtatur *l. 2. ep.* item Legatis Bæticæ contra Maram, idem refert *l. 10. ad Tacitum.* Recte ergo in præſenti aſſeritur, ad judicis officium ſpectare parti advocatum non habenti illum aſſignare, & advocatum poſſe a judice compelli patrocinium litiganti præſtare: conſtat *ex l. providendum 7. verſ. Si quis vero, ff. de poſtul. l. 16. & 24. tit. 16. l. 2. recopil.* probat primarius noſter Richardus *in §. ſi tutor. n. 7. de inoff. teſtam.* Secunda etiam pars noſtræ aſſertionis ratione non deſtituitur; nam licet cum pars familiaris eſt judicis, judex recuſari valeat, *c. accuſatores 3. q. 5. c. inſinuante, de off. delegati, l. apertiſſimi, C. de judiciis*, plura Petrus Greg. *l. 1. ſyntagm. c. 3. n. 6.* Balboa *in c. cum ſpeciali, de appell.* non tamen ſi advocatus eſt familiaris, quia non æqualis ſuſpicio eſt in eo, ac in parte, cum cauſa, quæ diſceptatur, non ſit ipſius advocati, nec ipſe litiget, ſed tantum parti litiganti patrocinium præſtet, argumento legis *qui cum major, §. patroni, ff. de bonis libert.* Pichardus *in manumiſſ. §. 10. n. 1.* quare recte in præſenti deciditur, juſtam non eſſe recuſationis cauſam, ſi advocatus familiaris ſit, aut domeſticus judicis: docet Langlerus *l. 2. ſemeſtr. c. 1.*

19 Solvuntur difficultates. Nec obſtat argumenta ſupra adducta. Non primum deductum ex dicto capite *Paſtoralis*, procedit enim principium illud in facto ipſo proponendo coram judice; illud enim per ſe referre, & narrare debet actor; jus tamen, quod ex facto procedit, proponi, & allegari debet per advocatum, *c. cum cauſa, 62. de appell.* Nec obſtat argumentum difficultatis; nam certum eſt, advocatum a judice parti aſſignatum, compelli poſſe patrocinium præſtare, niſi aſſignetur contra fratrem, aut ſimilem perſonam ſanguine conjunctam, *l. humanitatis, C. de excuſat. tutor.* vel ſi negotium ad ſe pertineat, *l. interdum, ff. de rei vindic.* aut ſi litem improbam ſuſcipere jubeatur, *l. rem, § patroni, C. de judiciis*; & aliis caſibus mira eruditione illuſtratis a Langleo *l. 1. ſemeſtr. c. 1.* & ad praxim adductis a Carraſco *ad leges recopil. n. 33.* Sed cum in noſtro caſu advocatus non deſignaretur contra perſonam conjunctam; ideo compelli poterat monaſterio patrocinium præſtare. Nec obſtat, quod de procuratore dicebamus: jure enim civili advocatus magnopere diſtat in hac parte a procuratore; nam procurator non ita neceſſarius eſt, ac advocatus. Accedit, quia procurator mandato conſtituitur: ſed mandatum ſuſcipere nemo cogitur, *l. ſi mandavero, 22. §. ult. ff. mandati*; unde procurator invitus nemo conſtituitur. Nec ſecundum argumentum obſtat, quæ enim in eo expendebamus, procedunt in parte, quæ familiaris eſt ipſius judicis, aut in teſte: non vero locum habent in advocato; teſtis enim deponit juxta factum, & illi fides adhibetur, *c. 2. de conſuetudine*: advocatus vero teſtis juris eſt, nec illi creditur, niſi quantum de jure probat, *l. ab ea parte, ff. de probat.* Docent Hoſtienſis, & Butr. *in præſenti*: unde advocatus non recuſatur ob eaſdem cauſas ac teſtis.

20 Exponitur c. prout 4. de dolo. Primo ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in c. prout 4. de dolo, & contumac.* ubi cum diſceptaretur cauſa ſuper quibuſdam decimis, & reus aliquamdiu contumaciter abfuiſſet, & deinde cautionem juratoriam præſtitiſſet, judicioque ſiſti promiſiſſet certo die, cum comparuiſſet, noluit reſpondere, ea ratione, quia advocatum non habebat, nec invenire poterat. Quæſitum fuit, an ex eo legitime excuſatus eſſet? Urbanus III. decrevit, illum non excuſari a contumacia: ex quo decreto expreſſe conſtat, parti advocatum non habenti ſuccurrendum, aut conſulendum non eſſe illum aſſignando; imo ad ulteriora eſſe procedendum. Augetur difficultas hæc *ex c. 1. ut lite non conteſt.* ubi parti aſſerenti ſe non invenire advocatum, induciæ præſtantur, ut illum reperire valeat, nec interim contumax judicatur: quod etiam probatur *ex l. ſi ab hoſtibus, §. ult. lib. ait Prætor, §. ult. ff. ex quibus cauſis majores, l. 1. C. de dilationibus.* igitur non recte decrevit Urbanus III. contumacem judicari eum, qui advocatum non habuit. Pro hujus textus interpretatione dicendum eſt, in ea ſpecie advocatum parti non aſſignari: quia jam illum habebat; illum autem non expectari, quia ex dolo, & malitia abfuerat; & tunc nec ipſe advocatus expectatur, nec parti induciæ conceduntur: unde in quibuſdam libris rubrica illa, ſub qua jacet textus *in d. c. prout 4.* ita concipitur, *De dolo, & contumacia alterius partis punienda, & de advocato non expectando*, ut referunt Cujacius *in d. c. prout 4.* Anton. Auguſt. *in notis ad eam rubr. in prima collect.* Si vero non ex malitia reus proponeret ſe advocatum non habere, induciæ concederentur, aut advocatus illi aſſignaretur; non tamen ex eo, quod advocatus abſit, & ſententia proferatur, ideo irritabitur, *l. velamento, C. de poſtuland. l. 1. C. de repudiand. honor. poſſeſſ.* niſi cauſa fiſci ſit, juxta textum *in l. ſi fiſcus, ff. de jure fiſci, l. ult. C. de advocat. fiſci.*

21 Intelligitur c. ex inſinuat. de appell. Secundo adverſus ſupra traditam concluſionem expenditur textus *in c. ex inſinuatione 50. de appellation.* ubi inter Canonicos ex parte una, & Camerarium ex parte alia lis vertebatur coram judice ordinario. Camerarius ab ejus ſententia appellavit ad Romanum Pontificem: judex ipſe, qui cauſæ illius favebat, ex eo quod ejus advocatus commenſalis erat, terminum præſcripſit, intra quem partes Romæ comparerent, cauſamque diſceptarent, & ea finita reverterentur: quæſitum fuit utrum judex ordinarius juxta, vel contra jus procederet? Et reſpondetur, injuſte eum terminum præſcripſiſſe; & cauſa commiſſa fuit certis judicibus delegatis. Ex qua facti ſerie facile depromitur, judicem ſuſpectum eſſe ex eo, quod advocatus commenſalis erat; ſiquidem ab eo cauſa avocatur, & aliis judicibus committitur: igitur etiam in noſtra ſpecie juſta recuſationis cauſa erat nimia familiaritas ipſius advocati cum judice. Pro hujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, exceptionem illam commenſalitatis advocati rejectam fuiſſe a Romano Pontifice, nec eam cauſam dediſſe appellationi, aut delegationi: ideo enim cauſa commiſſa fuit judicibus delegatis, quia quoties ex juſta cauſa provocatum eſt a judice, non eſt illa cauſa remittenda, ſecus vero ſi injuſte, & a nullo gravamine appellatum ſit, *cap. cum in Eccleſia, c. accepta, de appellat.* Unde cum *in dict. c. ex inſinuatione*, appellatum fuiſſet ex juſta cauſa; non debuit negotium iterum ad ipſum remitti; ſed potius diverſis judicibus committi; quo modo intelligitur textus *in c. 6. de appellat. in 5. compilat.* in illis verbis: (Significaverunt nobis ven. f. Epiſcopus, & dil. f. Decanus, & Capitulum Belvacen, quod Magiſter I. Silvanecten. Rhotomagen. Canonicus, olim pro aſſequenda in Eccleſia Belvacenſi præbendas noſtras ab bonæ memoriæ Epiſcopo Pariſien. & ejus collega litteras executorias impetravit; cumque iidem partes ad ſuam præſentiam convocaſſent, pars prædictorum Epiſcopi, & Capituli recuſarunt ipſum Pariſien. Epiſcopum, ut ſuſpectum, pro eo, quod advocatum partis alterius clericum, & commenſalem ſuum contra eos in cauſa eadem, eis reclamantibus admittebant, cum dixiſſet publice, ſicut erant parati ſufficienter probare, ſe ſcire firmiter, tamquam qui in tractatu ipſius negotii fuerat coram ipſo Epiſcopo, qualiter res eſſet hujuſmodi proceſſura: atque ad cognoſcendum de cauſa ſuſpicionis hujuſmodi arbitros petierunt, quos quia ipſi judices denegaverunt eiſdem, pro parte ipſorum fuit ad noſtram audientiam appellatum. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, revocato in ſtatum debitum quidquid poſt appellationem hujuſmodi inveneritis temere attentatum, in cauſa juxta priorum continentiam litterarum, app. remota, ratione prævia procedatis.

22 Exponitur c. inſinuante, de off. deleg. Tertio adverſatur traditæ aſſertioni textus *in c. inſinuante 25. de off. delegati*; ubi cum controverſia verteretur inter quemdam Rectorem, & Thomaſium ſuper jure parochiali, cauſa fuit commiſſa Epiſcopo Vvigornienſi, ejus vicario, ſeu officiali, & conjudici, cum clauſula, *quod ſi non omnes.* Lite conteſtata, & teſtibus jam receptis, prædictus Epiſcopus Rectorem in ſuum familiarem admiſit, unde Thomas exceptionem dilatoriam recuſationis propoſuit; nam cum de novo emerſiſſet, potuit eam poſt litem conteſtatam apponere, *c. paſtoralis 4. de exceptionibus, l. Julianus 17. ff. de judiciis*, Oſualdus, *l. 17. ad Donel. c. 2. litt. O*, petiitque ut cauſa aliis judicibus committeretur. Romanus Pontif. aliis judicibus eam commiſit terminandam. Ex quo Pontificis decreto deducitur, non ſolum recuſari potuiſſe Epiſcopum prætextu familiaritatis cum litigatore, verum & ejus vicarium, ſeu officialem: igitur in noſtro textu juſta cauſa recuſationis erat, ſi advocatus judicis familiaris, & domeſticus erat. Accedit, nam recuſato judice ordinario, ejus Vicarius de cauſis, tam civilibus, quam criminalibus cognoſcere poteſt, *l. unic. C. ſi quacumque præditus*: igitur in eo textu, etiam recuſato Epiſcopo, ejus familiaris in cauſa procedere valebat. Huic difficultati ut ſatisfaciant antiquiores in eo textu, affirmant Epiſcopum Vvigornienſem juſte recuſari ob partis familiaritatem; quia ſicut teſtis familiaris, ita judex recuſari poteſt, *c. accuſatores 3. q. 5. c. in litteris, de teſtib.* judex enim, qui quolibet modo favet uni parti, recuſari valet, *c. ſuper 27. §. ſi vero, c. ſuſpicionis, de off. deleg.* Officialem vero jam ut ſuſpectum in eo textu recuſari, quia creditur facile ab ipſo Epiſcopo perverti poſſe, cum moris humani ſit illum vereri, cujus judicio, & voluntate nunc erigimur, nunc deprimimur, *c. 16. q. 2.* Unde cum præſumeretur, vicarium in eo textu obſequii ratione ad Epiſcopi placitum trahi poſſe, juſte ob ſuſpicionem Epiſcopi ipſe recuſatur, ut pluribus relatis docet Narbona *de appell. a Vicario, p. 1. num. 135.* Nec obſtat text. *in d. l. un.* Cui reſpondendum eſt, eum ſpecialiter procedere in Vicario Præfecti Prætorio, cui dirigitur conſtitutio illa. Vicarius enim Præfecti Prætorio mittebatur in provincias cum propria juriſdictione, non ab ipſo Præfecto, ſed a Principe data, *l. 1. §. 2. ff. de legat. 3. l. 1. C. de off. Vicarii, l. ult. C. de modo multar.* quare cum proprio jure juriſdictionem haberet, ceſſat ratio obſequii erga Præfectum. Unde ex cauſa ſuſpicionis Præfecti non recuſatur Vicarius. Docent Germon. *l. 2. animadverſ. c. 21.* Narbona *ubi ſupr. nu. 129.* Quam differentiam inter Vicarium Præfecti, & alios pulchre deſcribit Caſſiodor. *l. 6. ep. 3.* ibi „ Vices agentium mos „ eſt ſic judicum voluntatibus obedire, ut ſuas non habeant „ dignitates: ſplendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur eſſe veritatis, qui „ proprii non habent jura fulgoris. Tu autem Vicarius jure diceris, & tua privilegia non relinquis, quando „ propria eſt juriſdictio, quæ datur a Principe: habes enim Præfecti aliquam portionem, & vice ſacra ſententiam dicis.

23 Exponuntur c. cauſam, de off. deleg. c. 2. ut lite non conteſt. Ex ſupra traditis exponendus eſt textus *in c. cauſam 17 de off. deleg.* cujus aliæ partes extant *in c. 3. de dolo, c. cauſam, 4. c. cauſam 7. qui filii ſint legit.* ubi proponitur, certam cauſam natalium commiſſam fuiſſe Epiſcopis Londinenſi, Exonienſi, & Vvinton. ſed unus ex litigatoribus propoſuit collitigatorem ſuum domeſticum eſſe, & familiarem Epiſcopi Londonienſis; unde eum ut ſuſpectum removeri petebat. Alex. III. conſultus in ejus locum ſubſtituit, & ſubrogavit Abbatem Fordenſem, ex rationibus ſupra adductis; quia licet advocatus ex eo, quod familiaris ſit judicis, non poſſit recuſari; attamen ſi aliquis ex litigatoribus commenſalis ſit ipſius judicis recuſari judex valet, ut ſupra ſæpe ſæpius inculcavi: ex qua etiam ratione, & ſimili modo exponendus eſt textus *in c. accedens 2. ut lite non conteſtata.*

CAPUT II.

a Gregorius IX.

JUdicis officium, ubicumque pro actione proponitur, veluti cum reſtitutio in integrum principaliter poſtulatur, litis conteſtationem expoſcit; alias ante, & poſt ingreſſum cauſæ poteſt ad hoc ſine litis conteſtatione haberi recurſus.

NOTÆ.

a GRegorius.) Qui præſentem conſtitutionem motu proprio edidit.

COMMENTARIUM.

1 Concluſio refertur, & probatur. CUm plerumque in utroque jure, tam civili, quam canonico legamus, officium judicis in his, quæ ad ejus officium ſpectant, verſari: in jure civili, ut provideat circa ea, quæ in judicio emergunt, *l. ædiles, §. item, ff. de ædilitio edicto*, ut jubeat præſtare, quantum revera debetur, *l. 4. §. item quæritur, ff. de doli except.* circa aquam publicam arcendam, *l. ſupr. §. off. ff. de aqua pluvia*: in rei vindicatione, *l. officium, ff. de rei vindicat.* circa æſtimationem injuriæ, *l. ſed non 16. ff. de injuriis*: circa præſtationes faciendas, *l. fidejuſſor. 45. ff. de fidejuſſor.* ne defunctorum corpora inſepulta detineantur, *l. nec corpora 38. ff. de religioſ.* ut ſigna in teſtamentis recognoſcantur, *l. 4. ff. quemadmodum teſtament.* ut jubeat cautionem præſtari, *l. ſi domus 21. §. 1. de legat. 1.* & alia, de quibus *in l. Mævia 44. ff. de manum. teſtam. l. ſi maritus, ff. de fundo dotal. l. ſervus 34. §. ult. ff. de ſtatu liber. l. Divus 22. §. ult. ff. de uſu & habit.* & congeſtis a Briſſon. & Calvino *verbo Officium judicis*: in noſtro etiam jure imploratur officium judicis, ut advocatum parti nominet, *c. 1. hoc tit.* beneficium reſtitutionis concedat, *c. 1. de in integrum reſtit.* locum tutum partibus ad comparendum aſſignet, *c. ex parte, de appell.* juramentum relaxet, *c. 1. de jurejur.* electionem confirmet, *c. poſtquam, de elect.* delicta inquirat, *c. qualiter, de accuſat.* & puniat, *c. ad noſtram, de jurejur.* In his ergo, & aliis caſibus Gregorius IX. regulam generalem aſſignavit, ut cognoſceretur, quando neceſſaria ſit litis conteſtatio, ut judicis officium imploretur, vel non; & ſequenti utitur diſtinctione. Vel officium judicis pro actione proponitur: vel cum alia actio competit, judicis officium imploratur. Primo caſu neceſſaria eſt litis conteſtatio; in ſecundo vero in ingreſſu litis, & poſtea ſine litis conteſtatione proponi poteſt. Ex qua brevi ſententia ſequentem deducunt Doctores aſſertionem: *Cum imploratur officium judicis nobile, loco actionis fit litis conteſtatio, ſi vero mercenarium, ante, & poſt litis conteſtationem implorari poteſt.* Probant textus *in c. cum dilectus 2. de purgat. canonic. c. cum olim, de teſtibus, c. ſignificante 69. de appellat. c. accedens 2. ut lite non conteſt. juncto c. conſultationibus 10. de off. delegati, l. Papinianus, §. ult. l. quod ſi minor, §. ult. ff. de minorib.* Illuſtrant Baldus, Hoſtienſis, & alii communiter repetentes ad hunc textum, Mauritius *de in integr. reſtit. c. 136.* Sfortia *eod. tr. p. 1. q. 35. ar. 6.* Sichardus *in l. 3. C. de in integr. reſt.* Donel. *l. 21. comment. c. ult.* Vultejus *de judiciis l. 2. c. 4. n. 479.*

2 Impugnatur tradita aſſertio. Hæc aſſertio impugnatur ſequentibus rationibus. Prima militat adverſus eam partem; ubi aſſeritur, officium judicis non poſſe implorari abſque litis conteſtatione, cum actio deeſt; nam ſi imploratur officium judicis, non poteſt deeſſe actio, ſiquidem ipſum officium judicis pro actione accipitur, *lib. ſi quis ſtipulatus 43. ff. ex quibus cauſ. manum. l. 1. §. 2. de Prætor. ſtipul.* Vultejus *l. 2. de judiciis, c. 4. n. 12.* ergo ſemper deſideratur litis conteſtatio. Secunda ratio dubitandi militat contra exemplum a Gregorio noſtro adductum, reſtitutionis videlicet in integrum; nam reſtitutio in integrum non per modum actionis in judicio proponitur, cum actio non ſit, *l. in cauſa, l. quod ſi minor. §. ult. ff. de minor.* Arnold. Vin. *l. 1. ſelect. q. 10.* in modum exceptionis apponitur plerumque, ut *in c. cauſam, de in integr. reſtit. l. necnon 28. §. exemplo, ff. ex*

quibus

BIBLIOTECA CENTRAL

quibus cauſ. manum. Docent Faber in l. in cauſa, ff. de minor. Oſuald. l. 21. comm. Donelli, c. 4. littera G, ergo non recte hic aſſeritur, actionis modum in judicio proponi, & ideo neceſſariam eſſe litis conteſtationem. Tertia difficultas militat contra eam partem, in qua aſſeritur, ante, & poſt litis ingreſſum officium mercenarium judicis poſſe implorari: nam litis conteſtatio fundamentum, & lapis angularis judicii eſt, & ſubſtantia ordinis judiciarii, c. dudum, de elect. c. cum cauſa, de appell. c. ſuper quæſtionum de off. deleg. ſine qua omnia vitiantur, & ante eam non lis, ſed controverſia dicitur. l. ſed ſi 25. §. ſi ante 7. de petit. hered. & actorem non petere, ſed velle petere, ſcripſit Paulus in l. amplius, 15. ff. de rem ratam: quod etiam refertur in c. ex parte, de verb. ſignif. igitur nunquam utiliter ſine litis conteſtatione officium judicis implorari valet.

3 Officium quid ſit. His difficultatibus non obſtantibus, vera eſt ſupra tradita aſſertio. Pro cujus expoſitione ſciendum eſt, verbum officium, eſſe generale, omneque miniſterium comprehendere, l. legatis, 65. §. ſi ex officio, ff. de legat. 3. Cujacius l. 9. obſerv. c. 17. Quandoque ad rem refertur, l. 1. ff. de regul. jur. aliquando ad loca, ubi officia exercentur, l. eum, 17. ff. de in jus vocando, l. ſi fidejuſſor, ff. qui ſatiſdare cogant. l. Sempronia, 72. ff. de furtis, l. 4. §. proficiſci, ff. de officio proconſ. Magis proprie ad homines refertur, idque ſignificat, quod cuique competit, vel ex honeſtate, vel neceſſitate, vel ex munere; ut in l. 2. ff. de reg. juris l. 2. §. 1. & 2. ff de his, quibus ut indign. Hæc officia cum a judicibus exerceantur, ipſi late appellantur officiales, l. illicitas, §. nec tenuit, ff. de off. Præſid. & miniſtri officiales, l. Præſidis, 34. ff. de rebus credit. l. pen. ff. de bonis damnat. Officium judicis in varias ſpecies dividitur a Doctoribus, ut in merum, & miſtum a Vultejo l. 2. de judic. c. 4. n. 40. Vinio, Mancio, & Pichard. in rubr. inſtit. de off. judic. in noſtro textu dividitur in nobile, & mercenarium; quam diviſionem licet rejiciant Vaconius a Vacuna l. 6. declar. c. 78. n. 11. Corraſ. l. 7. miſcellan. c. 9. eam tamen amplectuntur Pichard. & omnes Inſtitutarii ubi ſup. Et ut eam exponamus, ſciendum eſt officium judicis nobile appellari, quod judex juris auctoritate exercet, cum ad inſtantiam partis illud impartitur, non deſerviens alicui actioni; ſed ipſum judicis officium pro actione proponitur, veluti quando concedit in integrum reſtitutionem, vel cum officium impartitur illi, qui ſtricto jure nullam habet actionem, ſed ſolum ex æquo, & bono ut in l. qui per collationem, 49. §. 1. ff. de action. empti, l. centum 8. ff. de eo quod certo loco, l. quæro 54. ff. locati; vel cum imploratur officium ab eo, qui cum alio nullam habet controverſiam; ſed petit aliquid, quod ejus interſit, veluti reſtitutionem famæ, honoris, ſeu natalium. Docet Doctor Olea de ceſſione jur. tit. 3. q. 8. n. 46. Mercenarium autem judicis officium eſt, quod actioni in judicio propoſitæ deſervit, & tunc officium judicis idem eſt, quod actio, l. inquilino, ff. de damn. infect. leg. non 40. de judiciis, l. idem 10. §. 2. ff. mandati, l. Ædiles 25. §. 8. l. item 30. l. 1. cum l. ſequenti, l. bovem 43. §. aliquando, ff. de ædilitio edicto; nam judex actione in judicium deducta officium exercet ad normam, & menſuram actionis, vel in ea reſtituenda, interrogationibus faciendis, probationibus recipiendis, vel uſuris, fructibuſque æſtimandis: quidquid autem tunc judex interloquitur, fieri dicitur ex officio judicis mercenario, l. ædiles 25. §. item, ff. de ædilit. edit. & ſententia prolata, judex functus dicitur officio ſuo mercenario, lib. judex 55. ff. de judiciis. Alia etiam, quæ ad officium mercenarium ſpectant, tradunt Zaphius, & Orozius in l. 1. de juriſd. Pichard. in l. 3. C. ex quibus cauſ. major. Stephanus Pomeranus l. 1. de judiciis, n. 42. Bozerus de juriſd. q. 3. Valenzuela conſ. 86. n. 56.

4 Officium judicis non eſt actio. Secundo ſciendum eſt, officium judicis implorari, cum deeſt actio, qua ut ordinario remedio jus ſuum actor proſequatur, l. hereditas, ff. de petit. heredit. l. Quintus, 7. ff. de annuis leg. & tunc loco actionis ſuccedit officium judicis, licet naturam actionis non habeat. Azo in rubr. Inſt. de offi. judic. Giphanius in l. actionis 37. ff. de oblig. & action. Unde licet actio ex jure ſtricto naſcatur, officio tamen judicis ex æquitate provenit Oſuald. lib. 19. ad Donell. c. 1. littera P. Nec contrarium probat textus in l. actionis 34. l. pecuniæ 178. §. actionis, ff. de verb. ſignific. ubi aſſeritur, actionis verbo contineri perſecutiones extraordinarias: igitur & officium judicis, ut extraordinarium, appellatione actionis continetur. Nam reſpondendum eſt, perſecutiones extraordinarias in illis textibus appellari eas, quæ olim dabantur ſine certa verborum formula, de quibus in l. 1. ff. ſi menſor falſum modum: docet Vultejus diſcept. c. 1.

5 Traditur ratio decidendi. Ex quibus profluit ratio decidendi ad hunc textum; nam ſi officium judicis nobile cum imploratur, ſuccedit loco actionis, judicialis ordo debet obſervari, & litis conteſtatio fieri, cum in judiciis ordinariis deſideretur litis conteſtatio, c. 1. de litis conteſt. at vero cum judicis officium mercenarium imploratur, non eſt neceſſaria litis conteſtatio, ſed antea, vel poſtea præſtari poteſt; quia tunc imploratur contra partem, & poſt litem cum ea in principali cauſa conteſtatam: quæ conteſtatio principalis extenditur ad acceſſoria; & ideo tunc officium judicis mercenarium non poſcit litis conteſtationem ſpecialem, ut contingit in exceptionibus peremptoriis, quæ ante, & poſt litis conteſtationem opponi poſſunt. Docent Vivianus in rationali, & Hoſtienſis in præſenti.

6 Reſpondetur difficultatibus. Nec obſtant dubitandi rationes ſupra adductæ. Non prima, cui ſatisfactum jam eſt ex differentia adducta inter officium judicis nobile, & mercenarium. Nec ſecunda adverſatur; fatemur enim reſtitutionis beneficium jure actionis non peti, ſed tantum ad illud aſſequendum implorari judicis officium; nam cum Prætor reſtitutionem pollicetur ex aliquo capite, non ait, ſe actionem daturum, ſed animadverſurum, l. quod ſi minor 24. §. ult. ff. de minor. Notavit Vinius libr. 1. ſelect. quæſt. 10. Nec contrarium ſuadet noſter textus; tantum enim Gregorius affirmat, tunc loco actionis officium judicis implorari: ergo quia non eſt proprie actio. Deinde, nam officium judicis eſt ſubſidiarum remedium, daturque cum aliud non competit, lib. in cauſa 13. ff. de minor. Gentilis lib. 2. de juriſd. cap. 12. Donell. lib. 21. comment. cap. 4. Nec obſtat textus in l. in cauſa 16. in illis verbis, alia actio; in quibus ſupponi videtur, reſtitutionis remedium jure actionis competere. Nam reſpondetur, quod licet plerumque particula, alius, vel, alia, ſit repetiva ſimilium, libr. quidam, ff. de rebus dubiis, lib. ſi fugitivi, Codic. de ſervis fugit. auth. teſtamenta, Cod. de teſtamen. Sanch. de matrimon. libr. 3. diſp. 20. num. 2. tamen non ſemper eſt ſimilitudinis; & cum conjecturæ adſunt in contrarium, repetitiva non eſt, lib. 1. §. debitum, de conſtit. pec. authent. qui ſemel, Cod. quomodo, & quando, cap. Novatianus 2. qu. 1. Barboſa de diction. verbo Alius. Unde cum in d. lib. in cauſa, Conſultus ſtatim appellet reſtitutionem remedium extraordinarium, recte dicimus particulam aliam, in eo textu non importare ſimilitudinem inter actionem, & reſtitutionem. Nec ultima difficultas refragatur, nam verum eſt, officium judicis ante, & poſt litis conteſtationem implorari poſſe: poſt, quia cum lis ſit conteſtata ſuper negotio principali, non eſt neceſſaria nova litis conteſtatio: antea, quia cum non procedatur jure ordinario in hoc caſu, ſed extraordinario, ſufficit ut poſtea libello exhibito pars citetur, & per conſequens lis conteſtetur.

Primo ſuperiori aſſertioni adverſatur textus in c. ſignificante, 69. de appell. ubi proponitur, Decanum, & Canonicos Ecclefiæ Magduni, quæ eſt Canonicorum regularium in provincia Turonenſi, aſſeruiſſe jus habere, ut in ſuis tantum ſtallis, menſiſque, ſeu macellis carnifices carnes venderent. Epiſcopus Aurelian. negabat hoc jus Canonicis competere: aſſumptis judicibus ex conſenſu utriuſque partis, Epiſcopus alibi, quam in prædictis ſtallis carnem vendere permiſit. Canonici officium judicum implorando petebant, ut clauſis Epiſcopi officinis, omnia in priſtinum ſtatum reſtituerentur: Epiſcopus opponebat non poſſe judices illos ante diem conſtitutum ex conſenſu utriuſque partis, & ante litem conteſtatam ea de re cognoſcere. Et quia judices neglecta hac exceptione in cauſa proceſſere, Epiſcopus appellavit ad Roman. Pontif. & Gregorius IX. reſcripſit, legitime appellatum eſſe. Hactenus facti ſeries: ex qua conſtat, officium judicis mercenarium implorari non poſſe ante litis ingreſſum: ergo non recte aſſerimus in præſenti, officium judicis mercenarium implorari poſſe ante, & poſt litis conteſtationem. Huic difficultati ut ſatisfaciat Gloſſa in d. c. ſignificante, verbo Super his, aſſerit diſcrimen verſari inter noſtrum textum, & eamdem deciſionem, quia textus noſter procedit in judice ordinario: textus vero in d. c. ſignificante, in judice delegato. Sed hæc Gloſſæ ſolutio convincitur ex illis verbis abſolutionis, & generalibus noſtri textus, judicis officium; quæ juncta ſententia Butrii in præſenti, æqualiter ſunt accipienda de judice ordinario ac de delegato; quare ea omiſſa rectius dicendum eſt cum eadem Gloſſa, quod in eo textu officium judicis implorabatur tempore, quo nullum officium judicis erat; ſiquidem certum tempus aſſignatum fuit, intra quod partes comparerent: quare interim officium judicis conquieſcit, l. ſi vero, C. dilation. Unde in ea ſpecie non erat judicis officium, quod imploraretur. 7 Exponitur c. ſignificante de appell.

Secundo opponitur textus in c. accedens 2. ut lite non conteſt. ubi proponitur, controverſiam agitari inter Archiepiſcopum Tyrenſem ex parte una, & Plebanum, ideſt Parochum Eccleſiæ ſancti Marci ex altera. Plebanus enim ſuis finibus non contentus cujuſdam Eccleſiæ Tyrenſis adminiſtrationem uſurpavit; unde dictus Archiepiſcopus coram Berytenſi Prælato, & aliis judicibus delegatis beneficium reſtitutionis poſtulavit. Plebanus prius contumax comparuit, & inducias petivit; & promittens judicio ſiſti, abfuit; unaque parte præſente, Archiepiſcopus remedio reſtitutorio agebat. Plebanus vero nihil reſpondebat, imo ad Sedem Apoſtolicam appellavit, ea cauſa adjecta, quod Berytenſis Epiſcopus, & alius conjudex ſuſpecti videbantur, quia ſuffraganei erant partis adverſæ, Archiepiſcopi videlicet Tyrenſis; judices nihilominus in cauſa proceſſerunt, & reſtitutionem Epiſcopo conceſſerunt. Cauſa ad Innocentium III. delata, ipſe ſententiam irritavit ex eo, quia ante litem conteſtatam ſententiam ferre non potuit: & cauſam commiſit aliis judicibus. Ex qua ſpecie magnæ oriuntur difficultates. Prima, nam ſi utraque parte præſente officium judicis, ſeu beneficium reſtitutionis fuit imploratum, lis fuit conteſtata, & tamen non ſufficit: igitur litis conteſtatio non eſt ſufficiens, ut imploretur judicis officium. Secunda, nam etſi pars Plebani contumaciter abfuerat, juſte beneficium reſtitutionis concedi potuit, l. in cauſa 13. ff. de minor. cauſa enim cognita, & præſentibus adverſariis, vel ſi per contumaciam abſint, in integrum reſtitutiones præbendæ ſunt: igitur etſi in d. c. accedens, abfuerat Plebanus, beneficium reſtitutionis concedi potuit. Tertia ex eo naſcitur, quia ſuſpicionis cauſa allegata omni veritate carebat; ſiquidem Berytus æquale Metropolis erat ac Tyrus, l. unica, C. de Metropoli Beryto, ubi Cujacius Berterius diatrib. 1. c. 2. ergo cauſa ſuſpicionis falſa erat. Quas difficultates, ſicut nemo agnovit, ita nec diſſolvit; pro earum tamen ſolutione exiſtimo, in eo textu imploratum non fuiſſe officium judicis ad concedendum reſtitutionis beneficium; ſed tantum actum fuiſſe beneficio reſtitutorio, ut poſſeſſio ablata reſtitueretur, ad quam neceſſaria erat litis conteſtatio; & cum nunquam fuiſſet conteſtata propter partis contumaciam, non potuit ſenten- 8 Intelligitur c. accedens, ut lite non conteſt.

tentia diffinitiva proferri; ut ipſe Innocentius fatetur. Secundæ difficultati reſpondendum eſt, jura in ea adducta procedere, quando partes injuſte abſuerant, & contumaciter; quæ pro præſentibus habentur, authent. qua in Provincia, C. ubi de criminibus novell. de judiciis, §. appellationes. At in hoc textu ob juſtam cauſam, videlicet judicum ſuſpicionem, pars abſuerat, & ſic contumax non præſumitur. Ut tertiæ difficultati ſatisfaciamus, ſciendum eſt, non ſemper in eadem Civitate jus Metropoliticum obſervari quoad regimen Eccleſiæ, ac quoad forum civile; non enim juxta novam formam Imperatoris alicui Provinciæ data mutatur ſtatus dignitatum Eccleſiaſticarum, ut ex Baſilio, & Innocentio probat Cujac. in d. l. unic. C. de Metropoli Beryto. Unde quoad forum civile Berytus Metropolis erat; quoad regimen vero Eccleſiæ ſuffraganea Archiepiſcopi Tyrenſis, quia tantum Epiſcopali Cathedra decorabatur, ut docent Berterius d. c. 2. P. Marcha lib. 2. concord. c. 8. n. 1. Quare Plebanus juſtam recuſationis cauſam propoſuit, videlicet judicem delegatum eſſe ſuffraganeum partis, ut docet Germonius l. 1. animadverſ. c. 10.

De hoc etiam officio judicis, tam nobili, quam mercenario, exaudiendi ſunt textus in l. plane 38. de petit. heredit. juncto Cujac. ibi, l. 2. reſponſor. Papin. & l. 22. obſerv. c. 33. in fin. l. ult. C. de petit. hered. l. & qui, 9. ſi l. vendidero, 80. §. ſi Titius, 5. ff. de furt. junctis Cujac. ibi, l. 2. reſpon. Papin. & Fabro lib. 4. conject. c. 1. l. 1. C. ſi minor ſe ab hered. l. ſi reus, 73. in fin. ff. de procur. l. 1. alias 2. C. de duobus reis, juncto Fabro l. 11. conject. cap. 17. l. 2. §. idem Julianus, l. centum, ff. de eo quod certo loco, l. 2. C. de non numer. juncto Acoſta in l. ſi ex cautione, §. officium judicis, C. eod. tit. l. 3. ff. de alienat. judicii, l. Prætor, 15. ff. de noxalib. l. ſi alias 7. §. belliſſime 3. ff. quod vi, aut clam, l. inquilinio 33. l. cum poſtulaſſent 44. ubi plura Cujac. ff. de damno infecto, l. non quiſquis 40. ff. de jud. l. ſi navis, 62. ff. de rer. vend. l. 10. §. ſi ex fundo, ff. mandati, lib. Ædiles 25. §. item 8. l. item 3. §. 1. l. quod ſi 31. §. ſed hoc, l. bovem, 43. §. aliquando ff. de Ædilit. edict. 9

TITULUS XXXIII.

De majoritate, & obedientia.

CAPUT PRIMUM.

a Gregorius *Auguſtino Epiſcopo Anglorum*.

CUm certum ſit, pro Omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reſervari: nobis tamen eis neceſſe eſt honorum beneficia tribuere, ut in ſpiritualis operis ſtudio ex remuneratione valeant multiplicius inſudare. Et quia nova Anglorum Eccleſia ad Omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente, & te laborante perducta eſt, uſum tibi b pallii in ea ad ſola Miſſarum ſolemnia agenda concedimus, itaut per loca ſingula duodecim Epiſcopos ordines, qui tuæ ditioni ſubjaceant; quatenus Londonienſis Epiſcopus Civitatis ſemper in poſterum a Synodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac Sancta & Apoſtolica, cui auctore Deo deſervio, Sede percipiat. Ad c Eboracenſem vero Civitatem te volumus Epiſcopum mittere, quem nos judicaverimus ordinandum: itaut ſi eadem Civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque duodecim Epiſcopos ordinet, ut Metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque, ſi vita comes fuerit, pallium tribuere Domino favente proponimus; quem tamen tuæ fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubjacere. Poſt obitum vero tuum ita Epiſcopis, quos ordinaverit, præſit, ut d Londonienſis Epiſcopi nullo modo ditioni ſubjaceat. Sit vero inter Londoniæ, & Eboracæ Civitatis Epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem conſilio, & concordi actione quæcumque erunt pro Chriſti zelo agenda, diſponant unanimiter, recta ſentiant, & ea quæ ſenſerint, non ſibimet diſcrepando perficiant. Tua ergo fraternitas non ſolum eos Epiſcopos, quos ordinaverit, nec eos tantummodo, qui per Eboracenſem Epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Britanniæ Sacerdotes habeat Domino Deo noſtro auctore ſubjectos, quatenus ex vita, & lingua tuæ ſanctitatis, & recte credendi, & bene vivendi formam percipiant, atque officium ſuum fide, ac moribus proſequentes, ad cæleſtia, cum Dominus voluerit, regna pertingant.

NOTÆ.

a GRegorius.) Ita legitur apud ipſum Gregorium lib. 12. ep. 15. & poſt Concil. Lateranenſe ſub Alexand. III. par. 44. c. 1. & in c. 1. ſub hoc tit. in 1. collect. Cum enim Anglia ad fidem converſa eſſet prædicatione magni Auguſtini Monachi Benedictini anno 597. ut referunt Beda l. 1. hiſtoriæ Angliæ, c. 1. & c. 25. & 26. Candenus in ſua Britannia, pag. 104. ibi: „ Auguſt. quem vulgo Anglorum Apoſtolum dicunt, huc „ miſſus a Gregorio Magno, ſublatis ethnicæ impietatis por„ tentis, feliciſſimo ſucceſſu in Anglorum animis Chriſtum „ inſerendo ad Chriſtianam fidem convertit. Et in ſuis reſi„ duis pag. 264. Auguſtinus primus prædicavit Chriſtum genti „ Anglorum. Baleus cent. 1. c. 73. Et Helbertus omnium An„ glorum primus a Gregorio I. Romano Pontifice Romanæ „ Religionis dogmata per Auguſtinum recepit. Et cent. 14. „ cap. 1. Auguſtinus a Gregorio I. ad Anglos Saxones Papi„ ſticis traditionibus initiandos Apoſtolus primus mittitur. „ Late ex Scriptoribus illius Regni refert Richardus Smitheus lib. 1. in florib. Angliæ, cap. 2. Inde S. Aug. vocatur Genitor, & Apoſtolus Anglorum, ut probat contra Proteſtantes idem Smitheus, cap. 3. cum ſequentibus, uſque ad 24. Cum ergo conſuluiſſet B. Gregorium D. Aug. variis ſuper rebus ſpectantibus ob regimen ipſius Provinciæ, & præcedentis inter Londonienſem, & Eboracenſem Præſules, in præſenti illi reſcribit Gregorius, cujus epiſtolam integram damus ex ejus regiſtro; & cum eam non perlegiſſent antiquiores, plura pertractarunt prorſus aliena a mente Pontificis.

b Pallii.) De cujus uſu, origine & forma egi in c. 1. de auctor. & uſu Pallii.

c Eboracenſem.) De qua Eccleſia aliqua adduxi in c. 4. de reſcriptis.

d Londonienſis.) Londinum præcipua, & antiquior Metropolis Britanniæ eſt; ab Ammiano Marcellino dicitur Auguſta, l. 27. & 28. Metropolis Orientalium Saxonum appellatur a Beda l. 2. hiſtor. Angliæ, c. 7.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio probatur. EX hac epiſtola, ſive ejus fragmento, prout extat in hac ſexta Decretalium collectione, generale axioma deducunt Interpretes: Prius ordinatus, major & prior habendus eſt. Illud probant textus in cap. Epiſcopus, 17. diſt. cap. placuit, 18. diſt. cap. quando 8. diſt. 44. cap. Epiſcoporum 5. diſt. 74. cap. fin. diſt 75. cap. fin. 89. diſt. cap. factus 57. qu. 1. cap. duobus, 51. 27. qu. 2. cap. laicis, 26. qu. 7. cap. fin. de conſt. cap. dudum 1. de elect. Conc. Nicæn. can. 24. Conſervato Metropolitani Epiſcopi primatu ceteri Epiſcoporum, ſecundum ſuæ ordinationis tempus alius alii ſedendi deferat locum. Toletanum 4. can. 3. Synodus 6. can. 7. Carth. 4. can. 87. & 90. Conc. African. can. 53. & 56. Milevitanum can. 13. & 14. D. Greg. lib. 7. ep. 114. Leo ep. 15. Gelaſius ep. 1. c. 13. Lucius in epiſt. ad Epiſcopos Occident. Hincmarus ep. 6. c. 16. Faciunt textus in l. 1. ff. de albo ſcribendo, l. unica, C. de Conſulibus, l. 12. l. 1. C. de Præfectis, l. 1. l. 1. C. de Præpoſitis ſacri cubiculi, l. 1. l. 2. C. de Primicerio, eodem l. 4. C. de privil. eorum, eod. lib. l. 3. C. de tyronibus, eod. lib. leg. ultima, ff. de fide inſtrum. leg. honores, 7. ff. d. decurionibus, l. binos 10. C. de advocat. 1. l. nemo 8. C. de revocat. 2. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti, & de poteſt. Epiſcopi, par. 1. tit. 3. c. 8. n. 65. & in ſelect. ad textum in c. cum olim, de conſuet. & in cap. eſt ordo 33. q. 5. & in remiſſ. ad Trid. ſeſſ. 2. n. 6. Langleus l. 7. ſemeſtr. c. 7. & 8. Amaya in l. fin. C. de decurion. l. 10. Goldaſtius l. 1. de major. c. 17. n. 3. Savarus ad Sidonium l. 1. n. 11. Novarius de gravam. to. 2. gravam. 153. Limineus de jure pub. l. 4. c. 9. n. 67. Valenzuela conſ. 34. Petr. Greg. l. 4. de repub. c. 10. Juſtelus in can. 86. Eccleſiæ Afric. Fornerius l. 2. ſelect. c. 21. Contelorius de precedentiis, c. 4. Ferro Manrique eod. tract. q. 1. Langleus l. 2. ſemeſtr. c. 7. 8. & 9. Gratian. diſcept. forenſ. c. 298. & 492. Tambur. tom. 3. de jure Abbat. diſp. 5. q. 11. Valenzuela tom. 1. conſil. 34. nu. 32. Hermoſilla in 5. part. gloſ. 2. prolog. n. 4. Grotius l. 2. de jure belli, c. 5. n. 21. Æneas Silvius in hiſtor. Concilii Baſil. Altamiran. de filiis official. c. 9. n. 1. & c. 11. n. 1. Joannes Dartis in decretum, 15. diſt. pag. 34. Renatus Chopinus l. 1. ſacræ politiæ, tit. ult. n. 3. Fileſacus in c. quoad Sedem, de Officio Ordin. §. 4. Cabedo tom. 1. dec. 3. cum ſequentibus Hallier. de Hierarch. Eccleſiaſt. pag. 675. Valdes de dignitate Regis Hiſpan. c. 5. & 6. Gonzalez variar. c. 14. Tamayo de Bargas en ſus novedades: noved. 6. Eſcobar de Regia & Pontif. juriſd. capit. 2. numer. 117. Sahabreda in chron. Goth. pag. 308. Chenu in ſerie Epiſcop. Dolenſium in principio, Penna tom. 1. deciſ. 311. Rotæ, & 583.

Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ex ſequentibus conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo; nam ſicut apud Deum, ita nec in Eccleſia acceptio perſonarum debet dari, c. cum decorem, de inſtit. c. 1. de conjugio ſervor. c. nullus 4. qu. 4. & merita ſunt inſpicienda potius, quam temporum antiquitas, ut ait D. Greg. l. 6. epiſt. 29. non loca, vel ordines Crea- 4 Traditur ratio dubitandi.